

561
Baron Hildebrand de Utte Jorcksen II.
Elected November 11.

In
2535

Q. D. B. V.
ECCLESIAE EVANGELICAE
MARCHICAE
**ANNO SAE CVLARI
SECUND**
AUSPICIIS REGIIS
SOLEMNITER CONCELEBRANDO
AD
**SOLE M N E M
PANE GYRIN**
IN GYMNASIO
FRIDRICIANO
DIE XXXI. MAI
FINITIS SACRIS POMERI-
DIANIS
AVDITA HORA IV DECRETAM
OMNES QVIBVS RELIGIO CVRAE
EST
DEMISSÆ OFFICIOSE AC
PER AMANTER
INVITAT
GEORGIVS GOTHOFREDVS KVSTERVS
GYMN. FRID. RECTOR ET REGIAE
SOC. SCIENT. COLLEGA.

Berolini, Typ. Christ. Albr. Gaeberdt,
MDCCXXXIX.



Q. D. B. V.

Instat dies solemnibus Iobelais destinatus,
quo insignis beneficij recordamur, quod
ducentis abhinc annis Deus O. M. largitus
est, quandoquidem Marchiam sanctissima ve-
ritatis Euangelicae luce collustravit, beatisque.
Nisi igitur ingratorum crimen sustinere veli-
mus, nostrum profecto est, gratum, Deoque di-
catum animum exhibere, eidemque pro cle-
mentissima verbi salutaris conseruatione sup-
plicare. Quod dum facimus, & pie facimus,
& Augustissimi Patriæ Patris, exemplo vere
Regio nobis praeuentis, voluntati obtempera-
mus. Dum vero annum saeculi XVI nonum
& trigesimum commemoramus, non possumus
non meminisse Diui IOACHIMI II. Principis
Electoris pietate, sapientia, facundia, rerumque
bellicarum laude incluti, cui facta & multa &
maxima HECTORIS cognomen peperunt,
cuius in omnem Germaniam, & in Marchiam
in primis merita exstant innumera, cuiusque
memoria merito nobis sancta est & venerabili-
lis. De vita igitur optimi Principis narratio-
nem historicam admodum concinnam, adeo-
que scriptoribus rerum Brandenburgicarum
probatam, & hodie raram recudendam cura-
vimus, nostrisque solemnibus praemittendam
duximus, notulis quibusdam in gratiam studio-
se iuuentutis, cui haec scribimus, adiectis. Ita
enim renouamus memoriam Principis, qui gen-
tis Zolleranae primus doctrinam euangelicam
amplexus, & publice professus est. Quidni
autem

autem magni huius operis & grato semper animo celebrandi cogitatio animum nostrum subeat hoc maxime tempore, quo Rex Serenissimus secunda sacra saecularia indixit? Qumque & vrbi nostrae incomparabile hoc beneficium diuinitus contigerit, vt veritatem agnouerit, agnitam suscepit, susceptam denique Deo adiuuante in hunc vsque diem retinuerit: absit a nobis, vt tanti muneris a clementia diuina concessi memoriam deponamus, vt potius beneficium hoc, quo maius & magis salutare concipi non potest, modis omnibus celebremus. Atque huc erit comparatus solemnis actus, in diem craftinum decretus. Festum enim illum, atque exoptatissimum diem, quo cœrus publicus Deo O. M. ecclesiæ statori munus saeculare soluet, nec Fridricianum nostrum sine plausu, precibus, & congratulatione transmittendum putat, sed quæ in templo incepiimus, iubilis sacrosque hymnos in hoc bonæ mentis, litterarumque domicilio continuabimus. Resonabunt ergo in auditorio Gymnasii superiori finitis sacris publicis hora IV post meridiem audita hymni & diuinæ laudes, quibus finitis ego IOACHIMVM II. Ezechiam Brandenburgicum oratione latina repreſentabo. Quod ut bene vertat, vtque decenter hæc quoque sacra fiant, viros omnium ordinum & dignitarum eruditos, bonarum in primis litterarum Mæcenates, Patronos, Fautores, & cultores per ampla Regia Sedis moenia dispergos, vt adiungit, eoque fauore suam de refitura puriore religione letitiam testam faciant, ea qua par est, obseruantia rogo atque contendeo, daturus operam, vt hanc benevolentiam memori semper teneam animo, omni data occasione paria relatuir. P. P. Berolini in Gymn. Fridericiano die XXX. Maii
clio Io cccxxxix.

FRANC.





FRANC. HILDESHEIMII (a)
DE VITA
JOACHIMI II.
ELECTORIS BRAND. (b)
NARRATIO HISTORICA. (c)

Natus est JOACHIMVS II. Elector,
anno Christi 1505. Januarii die nona,
hora prima, minuto decimoquar-
to, à meridie, ut habet Lucas
Gauricus: (d) Patre JOACHIMO I.
Electore: (e) matre Elizabetha,
JOANNIS I. Regis Daniae filia. (f) Ab ineunte
ætate Parenſ eum in literis ac ſcientiis variis,
A sum-

a) Plura de hoc viro, & rei medicæ, & elegantiorum lit-
terarum peritissimo qui ſcire cupit, adeat Aſta Medicorum
Berolinensium Decad. II. Vol. 2. & niſi grave eſt, das alte
und neue Berlin P. I. p. 52. (a)

b) Multa proſtant ſcripta, quaꝝ Diui IOACHIMI II.
vitam illuſtrant. Nunc nihil dicam de iis, qui genera-
tim historiam Marchiaꝝ, & Electorum traſclarunt, REINEC-
CIO,

summa diligentia institui curauit. Et extat ad
huc liber manuscriptus, continens Nannonis
cuius-

CIO, ANGELO, SAGITTARIO, HELMERICO, aliisque:
Fortasse non ingratum erit quoddam Bibliotheca Branden-
burgicæ, quam paro, specimen, unde cognoscere licet au-
tores in serbenda laudatissimi Principis vita occupatos.
Innotuerunt vero sequentes, quos secundum annorum seriem
indicabo. Prater LÉVTINGERVM igitur, qui libris XVIII.
prioribus Electoris nostri historiam tractavit, hac pertinet

1. Scriptum publice propositum a Rectore Academizæ
Francofordianæ IO. SCHOSERO ÆMILIANO ea die,
qua funus in urbe Archœa fieret illustriss. atque Opt. Prin-
cipi ac Domino, Domino IOACHIMO II. March. Brand.
S. R. I. Archi-Cam. & Eleæt. Francof. 1571. 4. pl. 1¹₂
2. CASP. STOLSHAGII Bernouiani Carmen in funere - -
JOACH. II. ib. eod. 4. pl. 1¹₂.
3. CHRIST. CORNERI Oratio de vita & obitu IOACH.
II. qui pie decessit III. die Januarii habita eo die, quo ipsi
Patriæ Patri Academia & Ecclesia Francofordianæ ad Vi-
adrum ciues parentarunt & funeris justa soluerunt ib. eod.
4. pl. 4.
4. Sepultur des Durchl. 1: Joachim 2: in Gott seliglich
entzäpfen den 2. Januar, in der Nacht zwischen 4 und 5
Uhr. Ihrer Churf. Gn. Alters im 66. friedl. Regierung
aber im 36. Jar, begraben den 26. Januar des 171.
Jars mit christl. chrl. und Fürstl. Ceremonien, wie folgent
ordentl. verzeichnet, erzählet Andreas Mutschelus D. ib. eod.
4. pl. 7¹₂.
5. Ej. Leich-Predige inn der Sepultur 1: Herrn Joachim 2:
ib. eod. 4. pl. 5.

6. PETRI

cujusdam præcepta Astrologica , quem Parens
JOACHIMVS , in Germanicam linguam ex la-
tina transtulit , & filio huic suo primogenito ad-
A 2 scripsit ,

6. PETRI HAFTITII Oratio de vita & obitu IOACHIMI
II. S. R. I. Archi-Camerari & El. ac Domini JOHANNIS
Fratri Marchionum Brand. Frf. cod. 4.

7. ANDR. CELICHII in S. Marien-Kirche zu Stendal
Pfarherra Leichpredigt über der Sepultur // Herr Joa-
chim // geschrieben u. gethan. Addita est ejusdem Prin-
cipis vita & morte oratio metrica , autore Celichio.
Magdeb. cod. 4 pl. 8.

8. MART. MONTAG carmen continens prosoopoepiae
Marchiae lugentis obitum Illustriss. Principis D. D. IO-
ACHIMI II. & præstantis homagium ac commendantis se
fidei & tutela Illustr. Principis D. D. IOH. GEORGII
El. Br. Cui intertexta est brevis descriptio processus in
funeris deduotione : dedicatum & exhibitum Illustriss.
Principi D. IOH. GEORGIO El. cum Brandenburgum
auspicato ingredetur cod. 4 pl. 2².

9. Bericht und Vermanung von des // Herrn Joachimen //
seligen Abgangen den andern Tag Januarii des Nachts in
diesem Jar geschehen , vnd welcher gestalt ime auch der
Durchlauchtigste , // Herr Johans Gdrgie Th Gn hoch-
lobl. sel. Gedchtnis nachgelassener Herr Son , Churfürst
auf dem Schloße zu Cölln an der Sprew des 10 Januarii
von beider Stet Berlin v. Edlen Unterthanen Personlich
hulden vnd schweren lassen Auch mit was herrl chem Ge-
prenge Ihr Churf. G. Her: Vater hochlobl. sel. Ged. den
26. Tag Januarii zu Chur: vnd Fürstl Begrebnis bestettet
get

scripsit, præmisso Proemio satis longo, quo filium ad doctrinam ac virtutem cohortatur, affectu verè paterno, inter cætera hoc veluti Adagio

get worden. Durch Philippum Agricolam Islebium Neimweis gestellet vnd in Druck gegeben ib. eod. 4 pl. 5 $\frac{1}{2}$.

10. PAVLI CREVSINGII einfeltige vnd Christ. Erinnerung von den sturnen Woltshaten, so Gott der Allmächtige v. gütige durch die Regierung des Durchl. Joachim des II. in Gott Christ abgeschieden aus diesem Zimmer vnd Thränenthal, den dritten Januar dießen Landen der Mark gegeben u. wiederfahren lassen den 26. Januar an welchem Tage die Sepultur Seiner Churf. Gnaden geschehen zu Berlin, zu Ehren u. lobl. seliger Gedächtnis S. Churf. G. gehalten in der Kirchen zu Böllz. Wittensb. eod 4 pl. 5 $\frac{1}{2}$.

11. IO. GARCÆI christi und kurze Vermanung gehalten in der Churf. Stadt Brandenburg in einer Leichpredig unserm lieben Landes Vater u. gnedigstem Herrn, Margr. Joachim dieses Namens des andern hochslbl. u. milden Gedächtnis ib. eod. 4. pl. 12.

12. CHRISTOPHORI MEIEMBVRGII oratio continens historiam vitæ & obitus Illustrissimorum Principum IOACHIMI II. S. R. I. Electoris, & IOHANNIS, Marchionum Brandenburgensium fratrum &c. destinata exquis Electoris celebratis Colonia ad Spream, VII. Calend. Febru. an. M. D. LXXI. cum ipsius exuia ex ritu christiano sepulturæ tradenterunt. ib. 1572. 4. pl. 11. Recafæ est hac oratio Magdeb. 1621. studio IO. BLOCII Poete Magdeburgensis sub tit: Peplum Mineruæ, seu oratio continens - 4. pl. 9 $\frac{1}{2}$. Non BLOCIVS solum, sed

gio utens : Illiteratum Principem similem esse
asino coronato, ut inde constet, huic Principi
ad omnia summa nato, educationem in omni
A 3 discipli-

sed CERNITIVS quoque eam suo tempore in paucorum manibus suisse referunt.

13. NIC. SELNECCERI Predigt über den tödtl. Abgang des Durchl. Herrn Joachim des Andern, welcher in Christo seligl entschlaffen ist den 3 Jan a. 1571, gehalten im Schloß Wolfenbüttel continetur in Thomae Stybari historischer Erzählung u. Leichpredigten etc Durchlauchtigster Evangelischer Churfürsten des heil. Röm. Reichs, sann Ihrem Christl Leben, Wandel u. tödtl. Abgang, dergl derselben Contrafacturen u. Bildern, auch Epitaphien oder Grabschriften Leipzig 1593 4. In hac collectione legitur homilia p. 189. sq. Additur historische Erzählung von dem Leben u. Wandel auch Christl. Abschied aus dieser Welt Herrn Joachimi II.

14 THOMÆ FORSTMANNI Aretologia Electorum Brandenburgium Th. XI, exhibet breuem vitæ Duci IOACCHIMI delineationem. Scriptum hoc Sufati prima vice an. 1716. in forma quadripartita ed. recensum legitur in collectione opusculorum historiam Marchicam illustrantium fasc. XVIII.

15 Jacob Paul von Gundling Auszug Chr. Brandenburgischer Geschichte, Churfürst Joachim des I. II. u. Joh. Georgen zu Brandenburg bey Gelegenheit der Lebensbeschreibung Herrn Lampert Disfelmeyers, Chr. Brandenburgs Berlin 1722. 8. Alph. 1. pl. 8.

16 Ejusd. Leben und Thaten Churfürst Joachim des II. MSC. Morte præuentus auctor opus, quod moliebatur, persicere

disciplinarum ac virtutum genere non defuisse.
In pueritia, praeceptore usus est Doctore Func-
cio,

cere non potuit. In annum enim induxerat singulo-
rum Electorum vitas edere, & quidem in forma ma-
iore. Vita quidem FRIDERICORVM I. & II. ELL.
illa Halæ a. 1715. bæc Poststampii 1725. edita in forma,
quam qđipertitam nominamus, est: at mutato consilio,
grandiorē illam formam (Folio) elegit, vitas
que Comitum Stadeſium, & ex parte etiam Marchi-
onum ex familia Anhaltina, nimisrum ALBERTO-
RVM I. & VRSI & II. OTTONVM I. & II. absoluīt,
deque JOANNE & OTTONE tres plagulas im-
pressas vidit, ulterius autem progredi morte inter-
ceptus non potuit. Opus igitur imperfetum reliquit,
quod fortasse, si manus accesserint obſetricantes, pro-
dibit.

17. Appendicis loco adducere licet excerpta quædam ex
oratione Diui Electoris ad quosdam verbi diuini Mini-
stros, IO. CHRIST. BECMANNVS meditationibus po-
liticis p. 631. inserta legi, quæ vero, quam paullo longi-
ora sunt, hic repeteremus nolo.

c) Rubrum hoc est: Vitæ duorum potentissimorum Prin-
cipum IOACHIMI II. ELECTORIS & JOANNIS
MARCHIONIS Brandeb. item duorum Marchiæ Cancel-
lariorū LAMP. DISTELMEIERI & HADR. ALBINI
Fr. 1592. 4. pl. 8. Ex his narrationem de Diuo
IOACHIMO II. nunc repetimus, reliquas commoda occa-
sioni referuentes.

d) Neapolitanus, astrologiæ, quam iudicariam vocant,
admantissimus, infelicibus litteratis adnumerandus, conf de
eo

cio, Jurisconsulto. (g) Quinetiam studia illius
rexit Albertus Patruus Cardinalis, quorum so-
cium

eo CORN. TOLLIVS in analectis de calamitate litteratorum
a IO. BVRCH. MENCKENIO editis p. 428.

e) qui NESTORIS nomine insignitur, imperique os
audit & oraculum. Conf. prater scriptores historiae Bran-
deburgiae in vulgus notos B. G. STRVII Diff. JOACHI-
MVS NESTOR Comitatus Ruppinensis restaurator. Jen.
1711. 4.

f) Iunabit de ea ex MS. ADRIANI ALBINI Cancella-
rii Neo-March. quedam hoc pertinentia addere: *Elisa-
berba JOACHIMI I. Coniux, quam ob usum viriusque
speciei in Eucharistia maritus aeternis zentbris vinculis-
que mandare decreverat, auxilio fratris R. Danie-
CHRISTIERNI per nobilem JOACI. GOEZEN
clam Berolini in Saxoniam ad Electorem JOANNEM
abducta est mens Mart. an. 1528. ubi ad annum usque
1535. mansit, Lichtenbergae vixit, sepius etiam per tri-
metre & amplius in eisdibus LVTHERI commorata est.*
Confer etiam SECKENDORFII historia Lutheranismi ed.
Frickii p. 928. & LVTHERI epistolaram Tom. II. vbi p.
375 ad W. LINCKIVM scribit: *Marchionissa aufugit e
Berlin - - quod Marchio statuerat eam immurare (ut
dicuntur) propter Eucharistiam utriusque speciei. Hæc
ELISABETHA Spandouia obiit an. 1555. die IX. Ian.
septuaginta annorum curriculo expleto, quum LXX. libe-
ros, & nepotes superuixisset. Ita enim refert JO. AGRI-
COLA (ISLEBIVS cognominatus) in sermone exequiali.
F. IV. a De hac ELISABETHA consule plura comme-
morantem pl. Reu. HENR. SCHMIDIVM in der Bran-
denburgischen Reformations Historie §. 62. p. 148.*

g) Prater hunc FVNCCIVM (quem vero caue confun-
das

ciūm & commilitonem habuit Joannem Principem Anhaltinum. In primo juventutis flore, cum vigesimum ætatis annum vix egressus esset, in ludis Equestribus tam naviter se se exercuit, ut quod ad vegetum corporis robur & Heroicos impetus animi attinet, illud Elo-gium verè ei tribuatur, quod de Alberto Pro-avo his verbis protulit Æneas Silvius. (h) *In militaribus, inquit, ludis, quibus hasta contenditur, unus omnium repertus est, qui nunquam equo dejectus sit, & omnes in se curren-tes defecerit. Ex torneamentis nunquam non victor exivit. Septies ac decies, solo tectus clipeo ac galea, cætera nudus, ut est abut Teu-tonicos duelli quædam species, in provocatores pariter armatos, acuta lancea cucurrit, nullo unquam damno affectus, cum adversarios nunquam ipse non equo derurbauerit. Quibus ex rebus,*

das cum Prussiæ theologo, cuius notum est dictum: *disce meo exemplo mandato munere fungi, & fuge ceu peſem τὴν πολυπόρογμοσύνην.* Conf. celeb. LILIENTHALII Acta Borussica Tom. I. p. 84) vñus est Divus JOACHIMVS II, studiorum formatore IO. NEGELINO ex Gunzenhausen, Ecclesiae collegiatae S. Erasmi Colon. ad Spream Canonico, eiusdemque ecclesiæ & viris Wasserdructing pastore perpetuo, quem inter acad. Viadrinae Rectores commemorat IO. CHRIST. BECMANNVS notit, uniuers. Francof. p. 47.

h) De Statu Europæ sub FRID. III, c. 31, in Freheri Scriptor. rer. Germ. T. I. ed. Struianæ. p. 131.

rebus, non injuria, Teutonicus Achilles appellatus est, in quo non solum militares artes & Imperatoriae virtutes singulari quadam gratia relaxere, sed nobilitas quoque generis, procuritas corporis ac venustas, & virium robur, ac facundia linguae, admirabilem eum ac penitus divinum reddidere. Hæc Silvius, quæ planè de hoc Alberto Pronepote, non tam scripsisse, quam prædictissime videri potest. Ita enim conueniunt omnia, ut nec lac laeti, quod ajunt, nec ouum ouo magis simile esse possit. Cujus rei fidem nobis fecit codex veterustus, qui exercitia illa Martialis graphicè depicta continebat. Itaque juvenis cum parente in aulam MAXIMILIANI I. se contulit, cui brevi tam carus factus est, ut neptem illi ex Philippo filio, desponderit Imperator, quæ ante nuptias immatura morte sublata est sposo. Inde Patrem ad omnia Comitia est comitatus, aut certè vices illius supplevit. Amissa nupta, nuptias contraxit cum Magdalena, Georgii Ducis Saxonie, incliti Principis filia, Anno 1529. ætatis 24. ex qua liberos suscepit, JOANNEM GEORGIVM Electorem, & FRIDERICVM, Archiepiscopum Magdeburgicum, & Barbaram filiam, Georgio Duci Bricensi & Lipnicensi nuptam. Quo matrimonio fataliter dissoluto, vxorem duxit Hedwigen, Sigismundi Poloniae Regis filiam, qua cum armatus sponsalia celebravit in Polonia. Factum id est anno 1535. quo patri mortuo in Electoratu succedit.

B

cessit.

cessit. Ex hac suscepit Sigismundum Archiepiscopum Magdeburgensem : Elisabetham Magdalenam, nuptam Francisco Ottoni, Duci Brunsvicensi, quae paulò post inita conjugii fcedera, relicta est vidua : Hedwigen, Julio Duci Brunsvicensi, & Sophiam, Domino Rosenbergio, Regni Boemici Burggravio nuptas. In primis Imperii annis, suarum Regionum Ecclesiæ, per Lutherum & Philippum repurgavit, invitî (hh) Cardinale Alberto patruo, Georgio Saxone, & Sigismundo Rege Poloniæ, Soceris. Qua in re, quantum offensionibus mederi, ac tempori nonnihil cedere studuerit, ex eo appareret, quod ceremoniarum pluriculum etiam retinererit, fundamento tamen doctrinæ Christianæ minimè labefactato, qua de re Lutheri, Philippi, & aliorum Vitebergensium Theologorum judicia extant, præfixa libro, quem de Canticis & Ceremoniis Ecclesiasticis JOACHIMVS Elector edidit. De versione Bibliorum Germanica quid dicam ? quanto eam studio ac desiderio juverit, promoverit, urserit, exrörserit, ut vera & genuina interpretatione sacrarum literarum, post tantas earum tenebras ac Labyrinthus, tandem ex voto frueretur. Anno 1539. Iacobo Stratnero,

(hh) Prostat hanc in rem epistola lectu dignissima inter epistolæ PHIL. MELANCHTHONIS, cuius argumentum, itemque excerpta ex præfatione ordinationi ecclesiastice Marchicae præmissa communicat SECKEND, l. c. conferatur LEVTINGERVS Lib. IV. p. 161. ed. nostræ.

nero, (i) quem Georgius Marchio Anspachensis, Berlinum, ad docendum Evangelium miserat, negotium dedit, ut reformationem Ecclesiarum in Marchia institueret. Eodem anno, Matthias Episcopus Brandenburgicus, primus administravit Cænam, sub utraque specie, ut vocant, Berlini, in templo Cathedrali. (k) Ex eo, JOACHIMVS quanta pietate atque constantia Religionem semel receptam in suis regionibus sartam tectam conservarit, ostendunt deliberationes, quas hac de re cum vicinis Principibus sepenumerò instituit, & inde cum Theologis suis suscepta colloquia. Scimus, ipsum crebris sermonibus asseverasse, non aliunde veram Religionem se assentum, quam ex Orthodoxæ antiquitatis libris, ac veteris Ecclesiæ cantionibus purioribus. (kk) Cum

B 2

Theo-

i) STRATNERVS hic D. GEORGIO PIO a concionibus aulicis ordinationem ecclesiasticam Anspacensem & Noribergensem componendam adiuvit, quam ordinationis Marchicæ basin quandam esse dicunt. STRATNERI huius mentionem faciunt SECKENDORFIVS 1. c. SCHVLTVS
NVS in vita GEORGII PII passim, aliisque.

k) Spandouiae cum sacra eucharillia prima vice vsum esse ostendimus satus im Alten u. Neuen Berlin P. I p. 40. vbi simul Electoris pientissimi sanctus cælestibus dapibus frundi ardor allegatur, daß Er kaum die Stunde, da Er

hinzugehen sollen, erwarten können.

kk) Quidni etiam ex sacri codicis lectione? Ita sane accipio ea, qua LEVTINGERVS refert Libr. I. p. 29. §. 42.
Praeful Moguntinus (ALBERTVS) summopere hac pueri

(10A)

Theologis, præsertim in prandio, multum contulit. Multos ad Secreta admisit colloquia. Vidi ipse, & legi descriptionem Colloquii, (l) quod cum Abdia Prætorio in aula Berlinensi, Anno 1560. die 13. Martii, remotis arbitris habuit, occasione arrepta ex libello Prætorii, de necessitate bonorum Operum, contrà Andream Musculum. Ut hic raceam, quanta prudentia & lenitate, lites istas, hac de re in Academia Francofurdiana excitatas, composuerit Princeps Prudentissimus. Erat enim ab omnibus Theologorum rixis ac dissidiis, longè alienissimus. Itaque nec Stancarum nec Osiandrum in Marchia ferre potuit, quos regionibus suis exclusit. Academiam autem, quam dixi, ab optimo Patre, Anno 1506. (m) fundaram, quinto anno gubernationis suæ reformatum. JOANNEM GEORGIVM & FRIDERICVM liberos eò misit. Prima

(IOACHIMI) *indole delectatus est, Bibliaque latina eleganter & pulcherrime adornata misit, quæ diligenter legeret. Qui pauci minus minimum aspernatus, consilio ipsius submixus textum Bibliorum sibi longe familiarem reddidit - Hinc voluptas illa, quam ex cantionibus & psalmis latinis perpetuo cepit.*

1) De hoc colloquio plura communicantur in BECMANNI notitia vniuers. Francof nec non in den Berlinischen Heb. Opfern Parte 28. item Alten und Neuen Verlu Part I. P. 299.

m) Pluribus hac de re agunt IVSTVS in Chronico Francofurdano, & BECMANNVS in notitia vniuers. Francofur. Legitur quoque inter GEORGII SABINI poemata carmen elegantissimum de *instaurato Gymnasio Francofordiano* p. m. 96. sq.

ma militiae tyrocinia, in Hungaria, vivente ad-
huc Patre, Anno 1532. feliciter posuit. Turcum
prælio ad Leopoldium vicum, (n) cum duo-
bus millibus Equitum fudit fugauitque. Unde
CAROLO V. Imper. fuit carissimus, ab eoque
cingulo Equestris donatus est. Lutherus ante
hanc expeditionem illi omnia felicia est omina-
tus, nec voto eventus defuit. (o) Postea in
bello Hungarico, quod Ferdinandus Imp. cum
vidua Joannis Sepusi gescit, Anno 1542. Decreto
procerum Imperii, ad gubernationis militaris
fastigium vocatus, nihil eorum intermisit, quæ
ad vigilantissimi Principis officium pertinenter.
Sed Fortuna virtutem superante, interuenien-
tibus per Germaniam bellis ciuilibus, & copiis
auxiliaribus emanentibus, felicia illius cæpta
tunc quidem fuere impedita. (p) Hanc in-

B 3 felici-

n) Leopoldsdorf.

o) Præfagium circumfertur IOACHIMO longe latissimum, quippe quum vix iter ingredi cœpisset, galli vix ante biduum natu lata acclamatio totum diem cecinisse dicuntur. Carmen SABINI hac occasione confectum repetit (vid. opp. eius p. 273.) ANGELVS in Annalibus Marchig. p. 321.

p) PAVLV S IOVIVS in optimum Principem infelici
huius eventus culpam conferit. At enim iure calumniis ho-
minis obuiam iuerunt S A BINVS carmine nitidissimo p.
190. Opp. idemque in epistola ad IO. SLEIDANVM Fran-
ciscuti an. 1556. impressa continente defensionem (adde-
etiam LEVTINGERVM Lib V. p. 185.) Illustrissimi
Principis IOANNIS March. Brand. vbi p. 3. inter alia Ele-

felicitatem successuum, idem Lutherus illi paulò antè, licet obscurè, prædixerat, scripta ad eum Epistola, in qua conqueritur, preces suas pro salute Germaniae conceptas, ob furorem Pontificiorum, & impiam Euangelicorum securitatem, & laxatam disciplinam militarem, languidores fieri.

Itaque IOACHIMVS re infecta in Germaniam reuersus, suis clementer imperauit. In bello

etorem Diuum ita tueruntur: Desuerunt Marchioni JOACHIMO res ad tormenta bellica necessaria, quas nonnulli se curaruros, & ad castra missuros promiserant. Nec Vngarica auxilia in tempore adfuerant: difficulter enim pertracci sunt Vngari in societatem belli, postquam cognoverunt ordines Imperii inter se disidere: terque euocati fuerunt, antequam se Germanorum copiis adiungenterent. Hec nimurum fuit causa istius morte & cunctationis. Quis autem ducum non factus esset tardus & parum efficax, ad hunc modum auxiliis pecuniis, & rebus ad tormenta necessariis desitutus? Nemo ignorat, pecunias esse neruos belli: Hieque deficientibus recusat imperium, & absque imperio rem militarem administrari non posse, idque ita esse, re ipsa tunc conpertum fuit: nam impedita stipendiiorum solutione miles adeo contumaciter recusauit Imperium, tamque grauiter indignari cepit, ut palam diceret: se non proculsum in pugnam, si vel unica sanguinis gutta victoriam consequi posset. Has difficultates Iouius silentio preterit, de quibus extant ipsius Marchionis Electoris litteræ, granissimis querimoniis plena, ex costris date ad Ferdinandum R. Romanorum, ordinesque Imperii Norimbergæ congregatos. Tam vero timendum & nullius animi principem hunc est, ut se extra periculum infami loco abdiderit, magnum & impudens mendacium est.

bello Germanico, (q) Cæsari fidelis permanerit, eique contra Germaniæ Principes, copias suas misit, quibus IOANNEM GEORGIVM filium præfecit, quem Imperator optimè accepit, & ob fortiter nauatam operam, Equestris dignitate auctum, parta victoria, patri remisit. In eodem bello, IOANNI fratri sua-
for fuit, ut auspicia Cæsaris sequeretur. (r)

Cum autem hostes Cæsaris, vici ad vi-
ctoris manus traderentur, IOACHIMVS, qui
hanc cladem præuiderat, & longè antè prædi-
xerat, apud iratum Cæsarem omnia suscepit
ac tentauit, quæ ad captorum Principum sa-
lutem ac liberationem pertinere videban-
tur. (s) Hoc intercessore Cæsar tandem pla-
catus est. Bello Saxonico confecto, Impera-
tor Carolus Comitia celebrauit Augustæ, sed
armata, vt terrorem incuteret Imperii Ordini-
bus. Id factum est Anno 1548. In istis Comi-
tiis proposita est illa Interreligionis Chy-
mæra, qua omnes imperii Ordines Tridentinæ
Synodi decretis submitterentur. Ioachimus
autem in his turbis, confirmationem suæ, à
Luthero & Philippo approbatæ Religionis,
à Carolo obtinuit. (t) Dum hoc pacto Cæsar
imperii

q) quod alias Smalcaldicum vocatur.

r) Tertius est IO. SLEIDANVS de statu religionis libro XVII. p. 523.

s) Conferatur idem ille SLEIDANVS l. c. p. 567. &
MELANCHTHONIS epistola in collectione IO. MANLII
p. 210.

t) Prouocant ad Diploma Cæsaris Electori datum REI-
NECCIVS in originibus stirpis Brandenb. p. 41. & CER-
NITIVS in Iconibus p. 61.

imperii & Religionis negotia Augustæ tractat, Saxones securi tumultum excitant, qui bellum Magdeburgicum attrulit. Antequam autem ad vrbis obsidionem veniretur, Ioachimus primo Magdeburgicis pacis conditiones proposuit, ad quas illi admodum frigidè responderunt, simuletiam irruptiones nonnullas fecerunt in Marchiam. Quæ res Electorem permouit, vt in vrbis obsidionem consentiret, (v) et si eum Ioannes frater à proposito reuocare conaretur. Misit igitur ad urbem copias suas, quibus Georgium Blankenburgum prefecit Anno 1550. Quo motu vix composito, ALBERTVS Brandenburgicus novum belli incendium paravit Germaniæ, quem primò Elector ad moderationem reuocare conatus est; (x) At cùm sanis Consiliis nihil proficeret, Fortunæ eum tandem reliquit, cuius ipse sibi faber erat, donec Mauricius è Pannonia reuersus, hostiles Alberti conatus reprimeret, ac patriæ tranquillitatem restituere. Accidit autem in hoc conflitu, (y) id quod in Græco versu dicitur:

Flet vietus, sed viætorem mors atra peremit.

Mortem

v) Confer SLEIDANVM I. c. lib. 21. & SEBAST. BESELMEIERVM in historia belli Magdeb. apud HORT. LEDERVM de causis belli Germanici p. 1197.

x) Conf. HORTLEDERVS I. c. p. 1281.

y) ad Siuershusium. Conf. LEVTINGERVS libro VII. p. 276. l.

Mortem Mauricii memorabile præcessit prodigium. In arce Berlinensi, ventus insolitus Mauricii statuam inter reliquorum Regum & Principum statuas collocatam, ita affixit, ut caput illius truncō auulsum decideret, reliquis statuis illæsis. Post hanc miserabilem victoriam, Principibus autor fuit Ioachimus, ut paœta, quæ familiis, Saxonice, Brandenburgice, & Hassiacæ, ex constitutione Alberti Proaui, peculiaria sunt, renouarentur, id quod singulari celebritate Neoburgi (z) peractum est. Pacata ab Alberti armis Germania, Carolo V. & Ferdinando Impo nuncquam defuit, nulla sumptuum, ætatis, & valetudinis ratione habita. Nam quo tempore Carolus imperium Ferdinando fratri per legatos tradidit, huic resignationi offici causa adfuit, ac simul à Ferdinando feuda accepit, Anno 1558. Postea Comitia Francofurti indicta, in quibus Maximilianus II. Romanorum Rex creatus est, Anno 1562. inuisit, licet ætate jam grauis, & valetudine admodum dubia. Aduentantem Cæsar, cum Maximiliano filio, Electoribus & Principibus præsentibus extra urbis pomaria profectus, humaniter excepit, eique gratias egit, quod nulla inclemens Cæli & incertæ valetudinis ratione habita, pro Rom. Imperii dignitate & salute

C publica

^{z)} Numburgi. Conf. IO SEBAST. MULLERI Annales des Chur- und Fürstl. Hauses Sachsen p. 125.

publica aduenisset. Hæc illi ultima fuit ad Comitia profectio. Anno 1567. cum proscriberetur ab imperio Dux Saxonie, & Augusto Electori executio mandaretur, multa tentauit Ioachimus, vt de proscriptis mitius ageretur, ne priuata vindictæ cupiditas executioni publicæ misceri videretur; (aa) Sed cum videret, rem aliter cadere, consilia, quibus fato impar erat, fato committebat. Ad reliquam vitæ considerationem quod spectat, præter altum frontis honorem, & Corporis Staturam sublimem, augustam, ac verè regiam, Princeps fuit animo excelsø & magno, ita vt nec secundis fideret, nec adversis frangeretur. Erga omnes fuit munificus & liberalis. Sumptus fecit in Comitiis, bellis, conviuuiis, nuptiis, venationibus, excursionibus, expeditionibus, magnificos ac regales. Tanta sententiarum grauitate & verborum elegantia, mandata dedit, vt ministri & scribæ potissimum, de dispositione & Elocutione minus solliciti, saltem in dictorum illius memoria acquiescerent. In Comitiis Eloquentia vsque adeò claruit, vt eo nomine apud Carolum V. & Ferdinandum Imp. in magna esset admiratione. Itaque Caroli imperium in Germaniam, solus est moderatus. De Ferdinando autem quid dicam? Constar, eum liberis suis seriò iniunxit, ut hunc potissimum

aa) Conferantur hanc in rem REINECCIVS & CERNITIVS l. c.

tissimum Principem obseruarent, & veluti alterum Parentem amarent ac venerarentur. Quinetiam dignitatem Ioachimus à Patre acceptam auxit & amplificauit. Primus enim in hac augusta familia, cum Ioanne fratre, Silesiae & Prussiae (bb) Dux salutatus est. In toto gubernatione, laudem cumulauit, Principum componendis dissidiis, ut verè PACIFICATOREM GERMANIAE dixeris. Ab intestinis bellis semper abhorruit. Itaque opes ingentes, quae odiorum ac dissencionum ciuilium irritamenta essent, despexit. Ab adulationibus fuit alienissimus. Cum Schleidani Historias inter prandendum sibi praegredi curaret, multa in iis correxit, vti actor ac testis occultatus, quem decem auritis praeferrri sciebat. Ius dixit, summa religione ac fide. (cc) Aliquando cum filios praesentes ad iusticie administrationem hortaretur, dixit, se nunquam, nisi forte à Consiliariis deceptum, iuris disciplinam violasse. Illud verò in ipso fuit admirabile, quod saepissimè veluti per Genium quendam praemoneretur. Nam mortem Philippi Hassiaci, Henrici Brunsuiensis, Friderici Electoris Saxonici, & Sophieæ

C 2 filiae,

bb) Vide CHRIST, HARTKNOCHII Prussiam vet. & nouum Parte II. c. 2. §. 16. p. 334.

cc) in IO. AGRICOLÆ ISLEBII libro, quem sub tit: Dreyhundert gemeiner Spruchwörter, der wir Deutschen uns gebrauchen, sub proverbio CXV. excurrit in laudes Principis Electoris inslitiam magno animo & nulla dignitatis habita ratione exercentis.

filiae, antequam nunciaretur, resciuit. Qua-
 triduo ante mortem, misit Medicum ad Ioan-
 nem fratrem, quem audierat instituere vsum
 thermarum, ad consolidationem cruris aperti,
 vt ipse quantum posset, eam medicandi ratio-
 nem dissuaderet, simul etiam ei denunciaret,
 quod septimana sequenti cum veller inuisere,
 quod forte in altera illa vita breui futurum,
 praesagiente intellexit spiritu. Nam elapo-
 hoc quadrigua, mortuus est, in arce Cöpeni-
 ca, (dd) Anno Christi 1571. postridie Kalendis
 Ianuarii. Post ultimam Cenam in presencia
 familiarium, sacris lectionibus ac meditationi-
 bus vacauit ad multam noctem, quo etiam
 tempore, pictore absente, CHRISTI in cru-
 ce pendens effigiem in quodam tapeto, creta
 delineauit. Postea se somno dedit, quo val-
 de breui atque compendiario vtebatur. Eo
 solutus de magna corporis totius, omnium
 que virium imbecillitate, conqueri capir, quae
 illi extrema fuit. Nam antequam Medici con-
 uocarentur, animam exhalauit manè ad quin-
 tæ dimidium, tertia die Ianuarii, ætatis suæ
 anno LXVI. demptis diebus quinque, com-
 pleto Electoratus sui anno XXXVI. Princeps
 à clementia, Magnanimitate, Liberali-
 tate & amore pacis
 laudatissimus.


dd) fraude Lippoldi Iudæi, venenum ELECTORI in
 vino Maluatico propinanis, de quo supplicium sumptum
 referunt Marchiæ hillorici.

Pon II n 2535, QK
f



WDR





567

Prae. H. H. H. H.
Fra. H. H. H. H. H. H.
Elect. Bremen.

In
2535

Q. D. B. V.
ECCLESIAE EVANGELICAE
MARCHICAE
**ANNO SAE CVLARI
SECVNDO
AUSPICIIS REGIIS
SOLEMNITER CONCELEBRANDO
AD
S O L E M N E M
P A N E G Y R I N
I N G Y M N A S I O
F R I D R I C I A N O
DIE XXXI. MAI
F I N I T I S S A C R I S P O M E R I -
D I A N I S
AVDITA HORA IV DECRETAM
OMNES QVIBVS RELIGIO CVRAE
EST
DEMISS E OFFICIOSE AC
PERAMANTER
INVITAT
GEORGIVS GOTHOFREDVS KVSTERVS
GYMN. FRID. RECTOR ET REGIAE
SOC. SCIENT. COLLEGA.**

Berolini, Typ. Christ. Albr. Gaeberdt,
M D C C X X X I X .

